

inferiorem contra nos excitare dicitur colludens cum Flaciano tribuno vicino, quem classici huius socium habet vel magistrum etiam.<sup>12</sup> Hoc enim nisi ageret, quae caussa ei afferetur edendi publice chartam contra nos cruentam? Cum, si quid minus ei probaretur in eo scripto, quod communiter a decano et collegio theologorum eius scholae, cui se debet, editum esse<sup>13</sup> legit, quaerere prius et monere priuatim et conferre amanter et [A 3v:] placide potuisset de eo, quo offenderetur, atque auertere periculum et labem a collegis et tentare an ad sanitatem reducere potuisset opera sua eos, quos errare crederet. Omnia enim experiri prius sapientem decet, inquit ille, quam pugnare incipiat praesertim ad suos et consortes fidei et ad domesticos quasi ciuile bellum commouere. Neque vero haec academia educauit ipsum ideo, vt infamaret eam neque illustrissimus princeps noster benignitatem suam in eum et ante contulit et nunc confert, vt sit, qui turbet quietem terris ipsius. Neque ei principi, qui operam ipsius hoc tempore conducit, gratam futuram confidimus hominis, ut lenissime dicamus, temeritatem, ubi de re docebitur. Quem principem ita nouimus erga ecclesias harum terrarum affectum atque ita pacis et quietis publicae amantem, vt si petiuisset Selneccerus, nequaquam grauatum eum huc sumptu etiam suo dimisisset ad monendum, cauendum, auertendum, ne quid res ecclesiastica detrimenti caperet.<sup>14</sup> Etsi autem alij alijs de causis ad scribendum eum venire et patrocinandum caussae, quam suscepit, perhibent – πάντων γὰρ κακῶν ῥίζα ἐστὶ φιλαργυρία<sup>15</sup> – fieri tamen potest, vt scientia etiam ψευδώνυμος inflans<sup>16</sup> hunc necessarium nostrum eo impulerit, vt iudicium sibi sumat de omnibus et aduersus omnes etiam si ἄνω ποταμῶν ferantur fontes, vt est in prouerbio.<sup>17</sup> Quo autem loco et tempore testari eum de sententia sua oportet et coram verba facere minus eum praesenti animo esse depraehenditur. Sed videamus breuiter, quid huius theologi censura inuadat. Corruptum, clamat, interpretando locum euangelistae „oportet Christum coelo capi“, cum sit in graeco ὃν δεῖ οὐρανὸν δεῖξασθαι<sup>18</sup> et non ὑπ’ οὐρανοῦ δεχθῆναι, aut ὃν δεῖ οὐ-[A 4r:]ρανὸς δεῖξασθαι. Christus, ut coelum accipe-

<sup>12</sup> Gemeint ist der Braunschweiger Theologe Martin Chemnitz.

<sup>13</sup> Vgl. die Angaben unter dem Vorwort des „Wittenberger Katechismus“: „Decanus, Senior, et Doctores Theologicae facultatis in Academia Vvitebergensi.“, A 8v, unsere Ausgabe, Nr. 2: Wittenberger Katechismus (1571), 102.

<sup>14</sup> Vgl. das „senatus-consultum ultimum“, das spätrepublikanische Notstandsrecht der römischen Republik, das die jeweiligen Konsuln bevollmächtigte, durch exekutive Gewaltmaßnahmen wie Truppenaushebungen unabhängig von der Volksversammlung und dem Senat, Hinrichtungen römischer Bürger ohne Gerichtsurteil oder Anwendung öffentlicher Gewalt ad hoc Schaden vom Gemeinwesen abzuwenden. Vgl. Cicero, Orationes in Catilinam I, 4, in: Marcus Tullius Cicero, Die catilinarischen Reden: lateinisch/deutsch, hg. v. Manfred Fuhrmann, Düsseldorf/Zürich 1998 (Tusculum Studienausgaben), 10.

<sup>15</sup> I Tim 6,10.

<sup>16</sup> Vgl. I Kor 4,6.

<sup>17</sup> Vgl. Adagium 215 „Sursum versus sacrorum fluminum feruntur fontes.“, Opera Omnia Desiderii Erasmi Roterodami, II-1, Adagiorum chilias prima, Amsterdam u.a. 1993, 328f.

<sup>18</sup> Act 3,21.